

II. Belegstellen

Beispiel 1:

Speculum militare c. 8 (fol. 48r-v)

Cronica Romanorum (wie Anm. 8, S. 39 f.)

Romulus, ut in hystoriis Romanorum¹¹⁴ habetur, cum Remo, dum rem publicam Romanam et urbem iniciarent, contractis undecumque pastorum, predonum ac latronum copiis unum populum constituit, asylum id est templum condidit pollicitus immunitatem cunctis fugientibus ad ipsum. Unde plures finitimi, qui apud suos cives offensam habebant, ad se confugientes recepit. Centum ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos senatores a senectute vel a numero, patres ob similitudinem cure nominavit. ...

Et cum novus populus uxores non haberet, ludos instituit, ad cuius spectaculum vicine nationes convenerunt cum uxoribus et filiabus et precipue de regno Sabinorum. Interfectis ergo parentibus et maritis singuli singulas rapuerunt et contra fas et ius homicidio et illicito raptu puellarum civitas est fundata. Ovidius de arte amandi: Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos, cum iuvit viduos rapta Sabina viros¹¹⁵.

Ipsi enim fratres meniis, muris, portis instauratis et nomine urbi imposto Romam ad allusionem suorum nominum vocaverunt, senatu, militibus, asilo ac universis ad rem publicam spectantibus cum pastoribus, latronibus atque plebeis fugitivis Latinis, Thuscis, Frigibus transmarinis, qui sub Enea intraverant, et Archadibus, qui sub Evandro influxerant, ordinatis unum populum effecerunt. Unde dicit Iuvenalis alloquens Urbem: ...

Et quoniam Romulus et principes uxores non habuerunt, instituit spectaculum ludorum, ad quod invitavit vicinas gentes, et convenit maxima multitudo mulierum et virginum. Ex quibus filiis et virgines Sabinorum rapuerunt sibi singuli singulas in uxores,

unde Ovidius: Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos, cum iuvit viduos rapta Sabina viros.

114) Paulus Diaconus, Historia Romana (wie Anm. 50) I 2 (S. 11 f.).

115) Ovid, Ars amat. I 101.